



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Serenissimum Principem Henricum Lotharingium, Harcuriae Comitem.  
Cum is Cadomense Societatis Jesu collegium inviseret. Ode XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

*Surrexit Christus  
spes mea:*  
 Fidæ credite nuntiæ ,  
 Expertis oculis credite Magdalæ :  
 Spes & dulcis amor meus  
*Precedet vos in  
Galileam.*  
 Debellato Erebo Christus ovans redit ;  
 Et dudum Galilæa vos ,  
*Scimus Christum  
surrexisse à mor-  
tuis vere.*  
 Amplecti cupidus , sevocat in juga.  
 Christo nos quoque nobilem  
 Gratamur memores de Styge lauream ,  
 Victoremque fatemur ; &  
*Tu nobis vicer  
rex misere.*  
 Curru colla juvat subdere amabili.  
 Quod si te qua clientium  
 Tangit cura , Deus : si neque gratiam  
 Sperare immiserabiles  
 Versa mente vetas : aurea da super ,  
 Fracto servitii jugo  
 Laudes usque tuas tollere sidera .

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM  
 HENRICUM LOTHARINGIUM,  
 HARCURIAE COMITEM .

*Cum is Cadomense Societatis Jesu collegium inviseret.*

*O D E X I.*

**H**ENRICE germane nobile Austrasiæ domus ,  
 Regumque mille ac Cæsarum :  
 Omnes licet stirps missa per mundi plagas ,  
 In scepta vivax pullulet ;  
 Cunctaque ramis regias felicibus  
 Aut firmet , aut umbrâ tegat .  
 Attamen alius gloria haud æque tumet ,  
 Tuo ac superbit nomine .

### CARMINUM LIB. III.

16;

Clarusque venas sanguis ire per tuas,  
Quam facere reges præferat.  
Et quas Idume grandibus palmas avis,  
Quas Sicula tellus protulit;  
Gaudent trophæis obrui majoribus,  
Tuisque vinci laureis.

### A D E U N D E M.

#### O D E XII.

S EMIDEUM proles, vel quos Mars horridus armis  
Bello feroce extulit,  
Hostilisque moram toties dedit esse furoris,  
Labantis & fulcrum imperi:  
Seu quos pax melior placitas instruxit ad artes;  
Et profuturas civibus,  
Magnanimo inspirans aluit sub pectore curas,  
Utriusque in ævi comodum.  
Publica privatis si fas confundere jura,  
Patriæque Musas jungere:  
Quas tibi debemus communi nomine gra  
Privato amore solvimus.

### A D V I C T O R I A M.

Cum Turennius fœderatos exercitus multis cladibus  
attritos ex Alsacia expulisset.

#### O D E XIII.

D IVA non mitis soboles Gradivi;  
Quam juvant hostis pavor, & tumultus,  
Et fuga, & late calido natantes  
Sanguine campi.

X iii